

vindicans, nisi quod pro ea, si oportuerit, etiam animam dare debes. Si Christus te misit, aestimabis te non ministrari, sed ministrare venisse: et ministrare non solum substantiam, sed ipsam quoque animam, sicut præfatus sum. » Deinde, nonnullis interjectis, varios vir sanctissimus induit affectus, gaudii videlicet, timoris ac terroris: ergo, inquit, fiduciam talem habens in te, qualem in nullo prædecessorum tuorum a multis retro temporibus visa est habuisse, exultat merito ubique et gloriatur in Domino omnis ecclesia sanctorum: sed specialiter illa, cujus uterus te portavit, et cujus ubera tu suxisti. Quid ergo? Nonne et mihi licet gaudere cum gaudentibus? Nunquid non ero unus de numero lætantium? Exsultavi, fateor, sed cum tremore: exsultavi, sed in ipso exultationis meæ articulo timor et tremor venerunt super me. Ego enim etsi nomen patris deposui: sed non timorem, sed non anxietatem, postremo nec affectum, nec viscera patris. Considero gradum, et casum vereor: considero fastigium dignitatis, et intueor faciem abyssi jacentis deorsum...

368. « Et quidem elegeras abjectus esse in domo Dei tui, et recumbere in novissimo loco in convivio ejus; sed placuit dicere ei qui te invitavit: Amice, ascende superius. Itaque ascendisti in altum; noli altum sapere, sed time, ne forte contingat sero miserabilem illam emittere vocem. A facie iræ et indignationis tuæ, elevans allisisti me. Altior quippe locum sortitus es, sed non tutiorem; sublimiorem, non securiorem. Terribilis prorsus, terribilis est locus iste. Locus, inquam, in quo stas, terra sancta est, locus Petri est, locus principis apostolorum, ubi steterunt pedes ejus. Locus illius est, quem constituit Dominus dominum domus suæ, et principem omnis possessionis suæ. Si forte declinaveris a via Domini; sepultus est in eodem loco, ut sit tibi contra te in testimonium... Hæc hactenus. Cæterum causa, quare ante tempus scripserim vobis, hæc est. » Synopsis ejusdem jam præmissimus huic epistolæ ex Manrico.

369. Causa itaque exposita, significat S. Bernardus, quidnam optet Ecclesiæ, ac novo ejus pontifici: ac postremo hortatur illum ad fortes magnosque animos, nec non ad jugem mortis memoriam, his verbis epistolam suam concludens: « Confortare igitur, et esto robustus; manus tuæ in cervicibus inimicorum tuorum. Vindica tibi animi constantia et vigore spiritus partem, quam dedit extra fratres tuos tibi omnipotens Pater, quam et tulit de manu Amorrhæi in gladio et arcu suo. In omnibus tamen operibus tuis memento te esse hominem, et timor ejus, qui aufert spiritum principum, semper sit ante oculos tuos. Quantorum in brevi Romanorum pontificum mortis tuis oculis aspexisti! Ipsi te prædecessores tui tuæ certissimæ et citissimæ decessiois admoncant, et modicum tempus dominationis eorum paucitatem dierum tuorum

nuntiet tibi. Jugi proinde meditatione inter hujus transeuntis gloriæ blandimenta, memorare novissima tua: quia quibus successisti in sedem, ipsos sine dubio sequeris ad mortem. » Atque hæc quidem sunt, quæ huc transcribenda putavi ex insigni illa et paternis affectibus plena Bernardi ad Eugenium epistola.

370. Illud autem « Quantorum in brevi Romanorum pontificum mortis tuis oculis aspexisti! » illud, inquam, occasione dedit Horstio quærendi, cur vitæ pontificum Romanorum sint adeo breves. Meretur audiri ejus notatio in præsentem epistolam, quæ habetur apud Mabillonium in notis prolixioribus ad epistolas S. Bernardi col. LXXII. « Mirum non immerito videri possit, quid sit, cur tam brevis ævi sint Romani pontifices, ut solus Petrus putetur annum vigesimum quintum attingisse; plurimos paucis annis, aut paucis mensibus, imo non multis diebus superstitis, mors præmatura rapuerit, cum videamus imperatorum et regum plurimos multo longioris ævi fuisse? Res omnino digna disquisitione. Sed quis novit sensum Domini? Video tamen eandem quæstionem B. Petro Damiani propositam ab Alexandro pontifice, quam ille diligenter tractat, et edisserit, ut legi omnino digna sint quæ scribit. Vide inter epist. lib. I, epist. 17, alias Opusculo 23. *Aliquando, inquit, a me sollicite requisistis, quæ mihi causa videatur, cur apostolicæ sedis antistes nunquam diutius vivat, sed intra breve temporis spatium diem claudat extremum; adeo ut post divum Petrum apostolum, qui per 25 circiter annorum lustra præsedet, nemo postmodum Romanorum Pontificum hoc spatium præsulatus æquaverit. Modernis imo temporibus vix quisquam ex prædictæ sedis culmen evehitur quæmetiam quatuor, vel, ut multum, quinque transcendat annorum. Quod considerantibus nobis, prodigialis, ut ita loquar, stupor oboritur: quoniam hæc breviter vivendi necessitas in nulla alia totius orbis Ecclesia reperitur. Sed in quantum mortalibus divine dispensationis revelatur arcanum, videtur nobis quia idcirco hoc judicii celestis ordo disponit, ut humano generi metum mortis incutiat, et quam despicienda sit temporalis vitæ gloria, in ipso gloriæ principatu evidenter ostendat. etc.* Angustus quidem limitibus Pontificum Vitas inclusit Damianus, fateor, dum ultra quatuor aut quinque annos non extendit: in breviores tamen mihi videntur coarctatæ, si pontificum historiæ consulantur. Rectissime igitur S. Bernardus hac epistola hortatur Eugenium, ut ex brevissimo suorum prædecessorum dominatu, suum quoque suspectum habere discat. » Ita ibi. Porro epistola, quam S. Bernardus scripsit ad purpuratos Patres qui Eugenium elegerant, elegans etiam, ac variis affectuum characteribus expressa legi potest in ipso fonte.

§ XXXV. Eugenius PP. Viterbium secedit, eo sacris operante coram Armenis miraculum; scripta S. Bernardi contra episcopum Eboracensem intru-

sum; domestica quedam negotia; famosi Nicolai Arremarensis, ambitio, etc.

371. Annalium Cisterciensium collector cap. 3, tractat de Arnaldi Brixiani in Urbem ingressu, ac plebe ibidem ab ipso concitata. Nos de turbulenti hujus hominis facinoribus jam supra satis diximus. « Ast Eugenius (ita pergit idem auctor num. 3) insanientium Romanorum civium furorem devitans, secessit Viterbium: ubi usque ad finem anni commoratus, non tam cedere, quam dare locum iræ visus est, cum efferberit [f. deferberit], facilius compescendæ. Percussit tamen prius anathemate Jordanem et socios; ac Tiburtinos, Romanorum antiquos hostes, auxiliares adscivit, per quos vexati facilius respicerent. » Videatur Ottonis Frisingensis Chronicum, lib. VII, cap. 31. Sed de his, inquit Manricus, suo tempore dicemus. Interim quo tristibus lætiora miscerentur, atque utraque se mutuo temperarent; mutata scena affertur ab ipso locus ille Annalium ecclesiasticorum apud Baronium ad hunc annum num. 27. Accidit secundum illud divinum oraculum veritatis ore pronuntiatum de prædestinatione sanctorum: « Venient ab Oriente et Occidente, et recumbent cum Abraham, Isaac, et Jacob, et filii regni ejicientur in tenebras exteriores; quod, dum Romani resiliunt, accurrant populi e longinquo; cum negant isti, qui prope; profiteantur, qui longe sunt positi, ut ita saltem erubescant omnes, qui oderunt Sion. » Varias porro ad sedem apostolicam externarum gentium legationes commemorat idem Annalium ecclesiasticorum parens ad hunc annum, nec non Manricus cap. 3 citato. In rebus autem, quæ accidisse narrantur, hoc miraculum illustre videtur a nobis non prætereundum, quod ex Ottone Frisingensi refert Baronius; sed nos illud in pauciora contrahemus nimis prolixitatis vitandæ gratia.

372. « Tunc quoque temporis, ait Baronius n. 29, cum Viterbii Eugenius consisteret, Orientales ex Armenia atque Syria legationes accepit, prout ab eo, qui præsens aderat, Ottone, qui et ea, quæ vidit, etiam fidelissime scripsit, refertur: » e libro itaque ipsius Ottonis septimo, cap. 32, delibamus ista: « Ea tempestate legati Armeniorum episcoporum, eorumque metropolitanum... legati ab ultimo pene Oriente summum pontificem Viterbii... adeunt, eique ex parte illius ecclesiæ subjectionem omnimodam offerentes, causas viæ nobis cum aliis multis presentibus, apud veterem aulam aperiunt... Inter ipsos et Græcos quædam de ritu sacrificii habitudo est in quibusdam; in aliis vero discrepantia. Ponunt enim fermentatum panem (quod refellitur apud Pagium ad annum Christi 1145, num. 8) sicut illi; aquam autem vino non admiscunt, sicut nos et illi... Pro his et aliis dum inter se dissentirent, Romanam Ecclesiam judicem eligentes, consultum veniunt, formamque sacrificii juxta consuetudinem ejus sibi tradi deprecant. Quos Romanus antistes gratanter suscipiens, missarum solemnibus ac sacri-

ficii secretis adhibuit, diligenterque ea, quæ fiebant ibidem, eos animadvertere monuit.

373. « Quod dum facerent... unus ex eis pontificali dignitate præditus, sicut postmodum in plena curia retulit, in beati Martini octava, quando dedicatio ecclesiæ beati Petri celebrari solet, summo pontifice divina mysteria agente, splendido fulgore radium solis super caput ejus coruscare, et in ipso duas columbas ascendentes et descendentes vidit. Cumque diligentius hac illacque oculos circumferret, nullumque aditum, per quem lux illa transfunderetur, inveniret, deficum hoc esse cognoscens, ac ad obedientiam Romanæ sedis amplius accensus, cunctis, quæ viderat, aperuit. At venerabilis pater non suis hoc meritis attribuens, ipsius potius fide cœlitus hoc sibi monstratum affirmabat, ut videlicet ecclesia, a qua ipse missus fuerat, Sacramentorum virtutem veritatis luce perfusam cognosceret, ac deinceps quali ea reverentia et forma tractare deberet, addisceret. » Hactenus Otto Frisingensis, quæ ab ipso descripta eo lubentius huic Commentario nostro inteximus, quod non modica in Eugenium papam quo sacris operante insigne illud prodigium accidit, venerationis commendatio, ac proin in ipsum etiam Bernardum derivetur: nec non in sacram ejus familiam Claravallensem.

374. Annalium Cisterciensium conditor ad præsentem annum cap. 4, num. 1, Eugenii papæ pro fidelibus in Oriente sollicitudinem exhibet, quæque tum ab eodem pontifice, tum a Christianis principibus, tum ab ipso potissimum Bernardo pro expeditione belli sacri, ac terræ sanctæ defensione sint peracta, enarrare deinceps pergit. Sed quia idem argumentum intexit annis non unis sequentibus, eisdemque intertextit alias res, quæ ad illam materiam non spectant; videmur melius consulti reum tam memorabilium intelligentiæ, ordini eventuum, ac narrationis modo, si, quæ ipse ob rationem temporis disjunctis, atque aliis historiis interrupit, nos eodem sermonis fluxu simul jungamus, ac facta annis diversis sub uno veluti conspectu representemus ad annum Christi 1146 et sequentes: quo lectorem mittimus. De pace cum Romanis inita ab Eugenio papa deque conditionibus ejusdem ac gaudio communi, quo idem pontifex Romæ sit susceptus, consuli potest Manricus cap. 4, citato, num. 10 et 11. Pergamus interea temporis ad cap. 5 anni 1145, laudatorum Annalium; quod ita auspiciatur Manricus:

375. « Interea Bernardus, qua pietate in suos, quo zelo in publicum bonum agebatur, cum a Theobaldo archiepiscopo Cantuariæ, cum a primoribus Anglicanæ Ecclesiæ viris, contra Willelmum Eboraci intrusum, pro filio Henrico sollicitaretur; cum causam diu ceptam et agitatam, trium Pontificum morte necdum discussam, in pendenti adhuc esse, nec sine gravi justitiæ detrimento, atque ipsius Ecclesiæ, consideraret; secundam epistolam ad Eugenium papam scripsit, acrem et vividam, ac aperte

proplantem, quod in priori latentius insinuarat; succidendos nimirum ramos inutiles, atque arbores infructuosas evellendas. » Et mox ibidem num. 2, epistola recitatur. Est ordinē 239, apud Mabillonium. « Eugenius verò pontifex, ut dicitur num. 4, apud Manricum, statu causæ cognito, qui integer a morte Innocentii conservabatur, prædecessoris sui sententiæ deferens, juramento decani Eboracensis, quod Guillelmus instantissime petierat, suis litteris standum confirmavit; ut, nisi ille capitulum intrusionis, quod Guillelmo inter alia opponebatur, juramento amoveret, electio irrita et nulla declararetur. Decanus primum iudicio se subtrahere, simulare ignorantiam, colloquia fugere: demum cum per censuras compelleretur, quamvis Guillelmo ex animo faveret, plus tamen veritati et religioni tribuens, quam amicitiae, tandem virum intrusum iterum pronuntiavit, iterum dixit, atque electionem cassam irritamque electioni Henrici post habendam.

376. « Tunc Willelmus jugulatus suo muerone, et arma propria in se conversa videns, ad posteriores Innocentii litteras, veras aut fictas, censuit confugiendum, et facessit negotium Eugenio nova cautela, ut jam exinde ad Bernardum Patrem scriberet, zelare se pro ecclesia Eboracensi, et velle idolum illud de medio tollere; sed nihilominus dubium adhuc hæere, qua via congruentius deiceretur. Tunc sanctus pater constans pro veritate, constans pro filio, sed nihilominus zelans pro Innocentio, qui in suis litteris notaretur duplicitatis, denuo contra Willelmum stylum vibrans, et pontificem roborans, vel ex his bonis, quæ ab ipso facta audierat, talem ad eum epistolam scripsit. » Habetur apud citatum modo editorem ordine 240, sed ibidem aptatur anno Christi 1146. Votis Bernardi respondit eventus. Quippe Eugenius « causæ meritis, et Bernardi instantia victus, tandem Guillelmum fore destitutum, substituendum Henricum adjudicavit. Quin et ad se vocatum sacramque, mox etiam pallio ex more cohonestavit; cohonestatum remisit Eboracum, » inquit Manricus num. 7, qui etiam deinde refert, quænam sint sacrilege acta a depositi fautoribus; de qua re exstat epistola S. Bernardi in editione Mabillonii ordine 252, cujus ad illam consulat lector notationem, et signatur anno Christi 1147.

377. Historicus Cisterciensis cap. 6, ad privata quadam et domestica ordinis sui negotia scribenda calamum admoventis, sermonem instituit de Petri Bernardi, ad Petri cathedram assumpti, successore in præfectura SS. Vincentii et Anastasii Romæ. Fuit is Rualenus: verum ægre Bernardus, sicut ibi narratur, num. 2 et 3, « charum sibi filium, quem præ aliis tenerius diligebat... tulit... a se avelli, maxime renitentem, orantemque, ut quiescere in paterno sinu permetteretur. Sed vicit tandem obedientia summi pontificis... Verum cum Romæ in sententia permaneret Rualenus, segnibus aut humilibus,

neque animum mutaret simul cum loco, neque blandimentis sive exterius aulæ... seu præfecturæ interius se permetteret; quin instanter per litteras, per nuntios, Bernardum Patrem pro missione obtinenda sollicitaret; ipse sanctus paterno illi affectu de more condolens, sed nihilominus Eugenio Papæ deferens, cujus præcipue electione illuc advenerat, talem ad eum epistolam scripsit, » ordine 258, qua illum ad se remitti rogat. Sed accidit, ut Eugenius « non solum petitionem non admisit; sed severius scripserit Bernardo, quasi nolenti sibi complacere. Tunc Abbas sanctus silentium Rualeno, silentium sibi imponens in hoc negotio, et Rualeno et Eugenio iterum scripsit; huic, ut obedientiam voluntariam fuisse monstraret; illi, ut faceret, » sicut dicit Manricus, num. 5. Sunt epistolæ 259 et 260.

378. Laudatus historicus, cap. 8, scribit de felici obitu venerabilis Humberti, monachi Claravallensis, qui in manibus S. Bernardi exspiravit, et de quo vir sanctus sermonem habuit ad fratres, meritis laudibus virtutes ejus extollens. Habetur inter alios ipsius sermones in editione Mabillonii, col. 1066 et sequentibus; sed illigatur anno Christi 1148. Vide notas ibidem. Eiusdem historiæ auctor, dicto cap. 8, n. 10: « Hoc ipso anno, inquit, quantum ex serie scriptorum, et vitæ ipsius licet colligere, Bernardus Pater, interruptis sermonibus in Cantica, in gratiam monachorum in Quadragesima, explicandum suscepit psalmum *Qui habitat*; quem decem et septem sermonibus absolvit. » Exstant aliis sancti sermonibus intexti apud laudatum Mabillonium, col. 827 et sequentibus; sed habiti signantur sub annum 1140, ut videre datur in notatione ad sermonem sextum.

379. Annalium Cisterciensium caput nonum constat e longa admodum narratione, quæ hominis cuiusdam hypocritæ subdolas artes, ut in S. Bernardi familiaritatem et usum intime se insinuat, atque hac via magnam sibi nominis gloriam, cujus erat avidissimus, compararet, lectori representat. Tametsi autem non adeo multum nostra intersit, si omitatur a nobis ista historia; quia tamen naturalem quamdam cum rebus gestis sancti abbatis connexionem habet, aliquam ejusdem partem ex Manrico in compendium cogimus. « Nicolaus Arremarensis ætate juvenis, aspectu decorus, moribus aut compositus aut fictus; sed ingenio et eloquentia pene usque ad miraculum; quem propter hæc Venerabilis Petrus Mauricius in deliciis, reliqui in admiratione etiam haberent... cum Eugenio in summa Ecclesiæ sede, Bernardum Patrem in summa æstimatione... conspexisset, Claramvallem adeundam sibi proposuit... Bernardum Patrem jam senio et morbis gravem, ac supra vires implicitum negotiis... indigere notario, qui phrasim gravem, qui sacrarum librorum inversa loca, qui dulcem ejus stylum imitaretur: se, si quem alium, aptum ad hoc munus... Huic ministerio si semel admittatur, ex quotidiano usu habi-

liorem, ex majori notitia utiliorem, et pene necessarium, brevi consecuturum, quod exoptabat, innovescere orbi per sanctum Patrem... Hæc Nicolao fingendæ conversionis occasio unica, hic simulandi perfectioris vitæ ardoris scopus fuit. Sed timuit detectorem Bernardum ficta devotio, et melius se putavit posse latere, si ad filios ejus primo, ut simpliciores; dein per ipsos ad sanctum referretur.

380. « Ergo quæsito colore videndi socios... seu visitandi sanctam illam domum... illic advenit, dum Bernardus abesset... Ibi quasi qui subito incaluisset, sancta servorum Dei conversatione attractus, mirari vitam, collaudare viros... et se infelicem, qui tanto bono careat. Si admitteretur sanctorum societati, vel in vita beatum prædicabat. Auferet utinam sperare, utinam petere!... Hæc similia per conventum primo sparsa, dein priori senioribusque dicta, adeo gratanter cuncti susceperunt, ut quo minus petentis votis annuerent, sola Bernardi absentia detinerentur... Illud tandem consilium omnium fuit, ut interim Arremarum reversus, in prima vocatione sua perseveraret, quoadusque per Claræ-Valleses Bernardo reduci, et per Bernardum Venerabili Petro vocatione insinuata, probataque convenirent suffragia... Itaque a Claravalle discessit non sine lacrymis, veris an fictis quis audeat judicare? At cum Bernardum negotia detinerent ultra consuetum, quietis impatiens... homo vafer et callidus, per speciem religionis vitia dissimulans, primum quidem venerabili Theobaldo Arremarensi priori persuasit, ut idem peteret. Dein cum ipsum et propositi socium, et precum haberet coadjutorem, hanc ad seniores Claramvallensium scripsit epistolam, captandos ex stylo, sive quia ad ipsos efficax et acer, sive quia levando parenti utilis foret. » Eiusdem epistolæ exemplar deinde ibi sequitur; quo recitato, aliisque nonnullis enarratis, quæ ibidem legi possunt, memorantur ea, quæ jam voti factus compos in cœnobio Claravallensi egit, ut præfixum sibi scopum obtinendi magni nominis consequeretur.

381. « Ingressum Claramvallem astutum juvenem... conciliarunt sancto abbati probi in speciem mores, modestique, ingenium acre et vividum, stylus dulcis, et se, quacunquæ vellet, facile flectens, tum... jure obsequium: quæ omnia ab aliis probata laudataque, maxime a Petro abbate Cluniacensi, cujus iudicio multum deferebat, Nicolaum valde Bernardo commendabant, Et latebat fortassis inter hæc ipsa proprii amoris scintilla, dum vir appetens otii et solitudinis, inveniebat in ipso, cui ardua etiam negotia posset committere. Hinc patuit via ad ejus desiderium, cum sanctus Pater in multis uteretur calamo Nicolai, atque ipsius exemplo etiam alii. Ex quibus brevi innotuit per totum orbem... Sic Nicolaus, quod adeo concupierat, celebre nomen... acquisivit in brevi. » Hæc et plura alia de isto hypocrita collegit Manricus ad annum præsentem 1145, cap. 9, ubi n. 13, (et post eum Pagius in Critica ad annum, 1146, n. 13,) affirmat fraudulentam ipsius

conversionem innectendam esse anno 1145, corrigens Baronium, « qui Nicolaum sequenti anno detectum atque delatum ad Eugenium papam putat; cum tamen multo posterius se prodiderit, ut tota historiæ series palam faciet, » inquit idem historicus Cisterciensis. « Neque credible, ut recte scribit Pagius citatus. Nicolaum tam cito falsarium a S. Bernardo deprehensum, et tamen non statim a suo obsequio dimissum. » Atque hæc quidem de illo impostore hactenus, quorum postea juvabit meminisse, uti et aliorum, quæ hisce attexo, ad plenioram notitiam historiæ Bernardinæ, in qua partes suas nequiter ac fraudulenter egit, alibi postmodum in eadem recursurus.

382. Duce sequor eruditissimum Mabillonium, qui in præfationis suæ parte altera in tomum III operum S. Bernardi, varia de Nicolao isto famoso curiose notavit a pag. 712, quæ ex Manrico dicebam de moribus ac naturæ dotibus, ita refert Mabillonius: « Erat Nicolaus natione Francus, ab ineunte ætate monachus in monasterio Arremarensi [vulgo Montier-Ramey] diocesis Trecentis, quatuor ab ipsa civitate leucis. Vir fuit ingenii facilis, versatilis, facile in aliorum affectus influens, litteris pro tempore apprime excultus, aliis erudiendis apud suos Arremarenses præfectus; charus viris ea ætate præcipuis, Attoni Trecenti episcopo, Petro Venerabili abbati Cluniacensi, Petro Cellensi, Henrico Ludovici Junioris fratri; aliisque. » De admissione ejus in Claramvallem mox agit Mabillonius; sed de ea re satis jam supra dictum est. Circa « notarii officium ipsi commissum, » idem Mabillonius, « Plures, ait, erant Bernardo notarii, ob varia, quæ subinde ad ipsum referebantur, negotia. Præcipuus erat Gaufridus, cui adjunctus fuit Nicolaus. » Illa vero, quibus ipsemet ibidem describit suum museum, argumento sunt auctori dictæ præfationis, « Nicolaum etiam sub senotarios habuisse. » Non transcribo autem quæ in eadem præfatione narrantur de librorum commercio, de recusatione tunicæ, ad amicum, quam is ad ipsum transmiserat, remisit, quasi parum ordini suo convenientis; de epistolis denique, quibus amicos frequentabat; de his quippe facile patior consuli a lectore præfationem laudatam Mabillonii; ita tamen, ut nonnulla ex illa delibem, quæ ad nostrum propositum, atque adeo ad Bernardi historiam magis prope conducunt. Sunt autem ista, quæ habentur col. 715 et seq.

383. « Petro Venerabili abbati Cluniacensi... ad delicias usque amicus erat Nicolaus, quem identidem Bernardus ad eum mittebat, ut mutua cordium arcana et reciproci affectus apud hunc sequestrum deponerentur. Qua de re legenda Petri epistola, quæ est ordine 264, inter Bernardinas. Sed tandem accidit, o mortalium infelix conditio! ut Nicolaus Bernardi indulgentia et facilitate abusus, sigillum ejus in malos usus adulteraverit, demum in horrendam prolapsus defectionem, quam dubium est, an unquam serio emendarit. De sigillo vitato Bernardus,

tacito Nicolai nomine, quæ sancti viri charitas erat, Eugenio significavit epistola 284: *Periclitati sumus in falsis fratribus, et multæ litteræ falsatæ sub falsato sigillo nostro in manus multorum venerunt; et (quod magis vereor) etiam usque ad vos dicitur falsitas pervolasse.* Ejusdem funestum casum deplorat in epistola 298, ad eundem Eugenium, non jam dissimulato (quod publicum crimen erat) auctore. *Nicolaus ille exiit a nobis, quia non erat ex nobis: exiit autem facta post se relinquens vestigia, et ego longe ante hominem noveram: sed expectabam, ut aut Deus eum converteret, aut instar Judæ ipse se proderet... Quod et factum est. Præter libros, denarios, et aureos multos, in ipso exitu inventa sunt super eum sigilla tria, unum ejus proprium, alterum prioris, tertium nostrum... De turpitudinibus ejus, quibus terra sordet, et factæ sunt omnibus in parabola, supersedeo polluere labia mea et vestras aures.* Addit Bernardus, eum, si ad curiam Eugenii, uti is jactaverat, pergere audeat, dignum esse, si quis alius, perpetua inclusione. Accidit vero iste lapsus in annum 1151, ut patet ex memorata Bernardi epistola 298, ad Eugenium eo anno scripta; et ex epistola 388, quæ est Petri Venerabilis, de electione Gratianopolitana, eodem anno facta, qua in epistola Nicolaus, uti Bernardo et Petro adhuc charus, ac fidelis amborum internuntius laudatur.

384. Nicolaum porro hunc ab alio synonymo Anglo distinguendum esse, observatur in sæpe dicta præfatione his verbis: « Omnes existimant ipsum profugisse in Angliam, ac se recepisse in S. Albani monasterio, eumque esse Nicolaum, qui Bernardi jam demortui de conceptione Deiparæ sententiam traduxit, impugnavitque, atque Petrum Cellensem adversarium habuit. Et Nicolaus quidem vocabatur iste; sed Anglum fuisse, constat ex duabus ad illum Petri epistolis, quæ sunt libri sexti epistola 23, et noni epistola 10, » quarum verba ibidem producentur. « Atqui ex superioribus constat Nicolaum Clarævalensem ante suam fugam Petro maxime notum ac familiarem, nec Anglum exstitisse, sed Gallum aut Francum: ac proinde ab illo Anglo distinguendum.

385. « Sed quo ergo, inquis, Nicolaus Francus se recepit? Post varios hinc inde discursus, constitit tandem in suo Arremarensi monasterio, cum Bernardo e vivis erepto ibi tuto sibi vivere licuit ac securo. » Probationes videri possunt in Præfatione eadem; in qua etiam asseritur, quid rei, quamve personam in Arremarensi monasterio ageret, e Nicolai verbis. « Ita ergo, inquit Mabillonius, apud Arremarenses agebat Nicolaus, ut esset sui juris. Misera sane conditio hominis, qui Bernardi discipulus ac notarius fuerat! Sed quis miretur, cum angeli ex cælo ipso deciderint? In hoc vero maxime vanitatem suam prodit, quod de multitudine amicorum, uti alias etiam solebat, gloriatur. » Epistola autem, quæ ibi affertur ad hoc probandum, etiam

indicio est, « Nicolaum ex Campania... ortum fuisse; sed lapsus ejus causam non aliunde, quam ex gloriola et superbia, quæ plerosque dementat, rependendam... Ex, his omnibus apparet, quis fuerit Nicolai genius, nempe vanus, inconstans, inquietus, de qualibus vix unquam quidquam boni sperare liceat. Cæterum qualis ejus exitus fuerit, ignoramus. » Sed jam tempus est, ut post hanc excursionem revertamur ad propositum.

¶ XXXVI. *Opera publico Ecclesiæ bono ac Sedi Apostolicæ navata; synopsis eorum, quæ vir Dei gessit ac passus est pro bello sacro.*

386. Venerabilem Petrum Mauricium, abbatem Cluniacensem, anno Christi 1146, Romam sese contulisse ad Eugenium papam memorant Annales Cistercienses ad hunc annum cap. 1. Exstat S. Bernardi epistola 277 ad eundem Christi Vicarium, qua summo cum benevolentia affectu ipsum commendat. « Romam tandem pervenit venerabilis abbas, » uti scribit Manricus ibidem num. 6, « ubi ab Eugenio non benigne tantum, sed etiam reverenter susceptus est, velut quem de universa Ecclesia bene, de cistercio ab initio optime meritum, etiam Bernardo tacente, non ignorabat. » At de Petro ibidem plura. Laudati Annales cap. 3, num. 1, referunt secundam Eugenii Papæ ex urbe Romana fugam, ejusque adjuncta. « Dum orbem, inquit, pontifex ex Urbe moderatur, et nunc per se, nunc per strenuos legatos cunctis providet. Urbem rebellem iterum expertus, iterum cedit; et qui modo cum ramis atque hymnis susceptus fuerat, vix tribus ex tunc mensibus exactis, lapidibus blasphemis impetitus in fugam agitur. » Deinde num. 3 ista dicuntur: « Dum hæc secunda Romanæ urbis seditio, vulgante fama et amicorum litteris, Claramvallem ad Bernardi aures venisset (quamvis Baronius ad priorem refert) accensus, quo solebat, justitiæ zelo, et calamus velut gladium vibrans, primum ad eos, arguens, rogans, increpans: sed mox etiam ad Conradum imperatorem scripsit, per quem, si forte obstinati perseverarent, nihilominus armis compescerentur. » Epistola quam dedit ad Romanos, habetur inter Bernardinas a Mabillonio recusas, ordine 243, quam proxime ibidem sequitur alia Conrado inscripta: utraque ibidem aptatur anno Christi 1146, utraque item præbet incensissimi studii, quo vir sanctus in publicum Ecclesiæ bonum, ac sedem Petri flagrabat, luculentum argumentum, prout perspicuum erit easdem legenti. Pagius ad præsentem annum Christi 1146 ambas illas epistolas spectare, etiam observat ibidem num. 1, contra Baronium, qui illas anno præcedente recitat.

387. Promissimus paragrapho proxime prætergresso, acturos nos hoc anno et sequentibus de sacra christianorum principum adversus infideles expeditione in oriente, idque sub uno, quos res magis eluceat, narrationis tractu: nunc autem fidem solvamus, præmittentes ea, quæ compendiose scribit Mabillonius in sua Præfatione generali, § 7, quæque

adinstar synopseos servire possunt ad longiorem hujus historiæ narrationem, quam § proximo inchoabimus, summam intelligendam. « Inter extremos, inquit, Bernardi, labores censenda est prædicatio sacrae expeditionis in terram sanctam: quæ res quantum sudoris, quantum molestiæ ipsi attulerit, ex ejus Vita et scriptis facile intelligere licet. Hujus expeditionis occasio, ut ex Ottone Frisingensi discimus, nata est per Ludovicum Juniorem Francorum regem; qui ad loca sacra pergendi desiderio pressus, quod germanus suus Philippus, eodem voto adstrictus, morte intercedente exsequi non potuerat, consilium suum regni principibus aperit. Hi Bernardum consulendum decernunt. Accersit abbas sanctus, tanti momenti negotium ad Romani pontificis examen referendum censel. Id magnopere laudavit probavitque Eugenius auctoritate prædicandi, animosque cunctorum ad hoc commovendi, prænominato abbati, qui apud omnes Gallie ac Germaniæ populos ut propheta vel apostolus habebatur, concessa. Patet tandem apostolicis litteris Bernardus, et excitatis ad transmarinam expeditionem multorum animis, Ludovicum regem apud Vizeliacum cruce signat cum Theodorico Flandrensi, et Henrico Theobaldi Blesensis filio, comitibus aliisque baronibus et nobilibus.

388. « Interim Radulfus quidam monachus crucem itidem dum in Germania prædicat, Christianos in Judæorum necem accendit. Hominem litteris repressit Bernardus, atque ipsemet sacrae expeditionis prædicationem aggressus est in orientali Francorum regno, hoc est in ea Germaniæ regione, quæ ad Rhenum sita est. Hinc Conradus imperator generalem conventum Spiræ indixit: quo Bernardus profectus, principi cum Friderico fratris sui filio, aliisque principibus et viris illustribus crucem sumere persuasit, plurima in publico vel occulto faciendo miracula. Fridericum Sueviæ ducem, qui filium suum cruce signatum indigne ferebat, Bernardus emollivit, Radulfum monachum in claustrum suum retrudi jussit; et loco sui Adamum Eboracensem abbatem Conrado, in Bajoariam pergenti, ad urgendum itineris negotium dedit socium. Exstat Bernardi hac de re epistola ad Francos orientales, quæ modo est ordine 363, quam proxime subsequitur alia ad Henricum archiepiscopum Moguntinum ad reprimendum Radulfum: *Igitur non solum ex Romano imperio (ait Otto) sed etiam ex vicinis regnis, id est occidentali Francia, Anglia, Pannonia innumeris populis ac nationibus hac expeditionis fama ad sumendam crucem commotis, repente sic totus pene Occidens siluit, ut non solum bella movere, sed et arma quempiam in publico portare nefas haberetur.*

389. « Tanta porro totius Occidentis commotio Bernardi prædicationi tributa est; verum cum hæc expeditio non bene pro votis successisset, tota etiam mali eventus invidia in eum rejecta, pro communi more mortalium, qui ex eventis res æstimare solent.

Neque fere ulla alia res fuit, quæ Bernardi animum majori dolore affecerit, quam ista, non tam sui, quam Dei causa. Unde ipse initio libri secundi De Consideratione: *Si necesse sit unum fieri e duobus, malo in nos murmur hominum, quam in Deum esse. Bonum mihi, si dignetur me uti pro clypeo. Libens in mercedem detrahentium linguas maledicas,* etc. Adeo porro omnium fere animi hoc eventu turbati sunt, ut sanctus doctor beatum pronuntiet eum, qui non fuisset scandalizatus in eo. Quanta denique fuerit Bernardi super hoc tristitia, patet tum ex epistola 288, quam in lecto, forsitan ex animi ægritudine, decumbens hac de re scripsit; tum ex epistola Joannis abbatis Casæ-Marii ad Bernardum ipsum, quæ modo est inter Bernardinas 386, in qua virum sanctum, quem ob sinistram expeditionis eventum audierat afflictum, consolatur.

390. « Non defuere tamen, qui Bernardi partes defendendas susceperint: quos inter non ultimo loco numerandus es Otto episcopus Frisingensis, Bernardo non admodum favere solitus. Is in libro de Gestis Friderici cap. 60, excursus facit ad excusandum eventum illius expeditionis, cui et ipse interfuit. In fine excursus philosophici potius quam historici, ita concludit in gratiam Bernardi: *Quamvis si dicamus sanctum illum abbatem spiritu Dei ad excitandos nos aflatum fuisse, sed nos ob superbiam lasciviamque nostram salubria mandata non observantes, merito rerum personarumque dispendium reportasse, non sit ab antiquis rationibus vel exemplis dissonum.* Unum tamen addit, nempe *spiritum prophetarum non semper subesse prophetis*: ut nempe inuual incertum esse, an Bernardus ex spiritu divino de hac expeditione, ejusque eventu conjecerit.

391. « Attamen Bernardus ipse initio libri secundi De consideratione ad Eugenium; ubi factum a calumnia tuetur, se ad id divinitus impulsus esse non diffitetur. *Diximus, pax, et ecce turbatio.* Tum hæc subdit ad sui defensionem: *Quasi vero temeritate in opere isto, aut levitate usi simus. Cucurrimus plane in eo, non quasi in incertum, sed jubente te, imo per te Deo.* Et inferius, objectis sibi hominum improperiis: *Unde scimus quod a Domino sermo egressus sit? Quæ signa tu facis, ut credamus tibi?* ita reponit: Eugenium alloquens: *Non est quod ad ista ipse respondeam: parcendum verecundiæ meæ. Responde tu pro me, et pro te ipso secundum ea quæ audisti et vidisti.* Quibus verbis miracula, ab se in prædicationis confirmationem facta, sine dubio modeste insinuat.

392. « Verum omnium optime Gaufridus sanctum Parentem suum a calumnia vindicat in lib. III de ejus Vita cap. 4, primo, quod illius expeditionis primum propositum ab eo non sit profectum. *Cum enim multorum jam animos permovisset audita necessitas, a rege Francorum semel et iterum propter*